



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

1. Vtrùm anima ante resurrectionem hominis consequatur beatitudinem perfectam.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

nem reddit D. Thomas, quia corona responderet victoriæ, & ideo tribus insignioribus victoriis tres respondent aureolæ coronæ: tres sunt enim præcipui hostes Christi, Mundus, de quo triumphant Martyres: Caro, de qua Virgines: Dæmon, contra quem Doctores, & contra eius infidias gregem Christi tuentur: & ideo his tribus vincendi ordinibus tres aureolæ respondent: quod si circa hoc est aliqua difficultas, statim attingetur.

III. Tertiò disputant, quid sint hæ aureolæ, quidam existimant, non esse in anima, sed futuras esse in corporibus beatis: quod communiter reicitur, quia, licet verum sit, etiam in corporibus futurum esse aliquem specialem splendorem, non est cur animabus negetur, cum gloria corporum ex animabus redundet, & cum in illis sit præcipua ratio victoriæ. Vnde in prædictis testimoniis, præsertim Apocal. indicatur, beatos iam possidere has aureolas. Alij dixerunt, has aureolas nihil aliud esse præter visionem beatam datam hoc vel illo titulo: itaque quatenus propter martyrium datur, dicitur aureola martyrum. Sed hoc est contra mentem Bedæ & aliorum, qui de aureolis loquuntur, quia illa potius dicitur aurea Martyrum, quam aureola. Item quia ille titulus solum addit habitudinem seu respectum: at verò in prædictis testimoniis significatur aliqua specialis perfectio. D. Thom. dicit esse gaudia propria & specialia de illis insignibus victoriis propter propriam excellentiam, quam habent ex obiecto, iuxta doctrinam illius explicatam sectione præcedenti, numero 10. & 11.

IV. Si obicias, in hoc sensu esse plures aureolas. Respondetur, in vno sensu esse verum, scilicet, quatenus aureola significare potest quamcumque accidentalem perfectionem additam coronæ aureæ: tamen specialiter accommodatum esse illud nomen ad significanda propria præmia, quæ respondent tribus illis insignioribus victoriis. Quia verò hoc gaudium non tam videtur esse speciale præmium, quam quid consequens ex natura rei ad essentiam beatitudinis, & ad rectitudinem voluntatis beatorum, ideo addendum videtur præter illud gaudium, quod per se sequitur ex his principiis, conferri à Deo his Sanctis aliquos speciales honores, propter dictos speciales titulos, vt verisimile est conferri Doctoribus maiorem aliquam diuinarum rerum intelligentiam, & Virginibus significatur dicto loco Apoc. dari specialis coniunctio cum Christo, seu quod specialiter deputata sunt ad laudes eius canendas: & de Martyribus similiter. Tamen in hoc sensu etiam obicitur, quia etiam Apostolis, vel pauperibus voluntariis videtur promissus specialis honor, habent ergo etiam aureolam: sunt ergo plures. Et forè idem est de aliis Sanctis habentibus speciales dignitates: ad quod dicendum ex D. Thom. non esse inconueniens aliis etiam dari specialia præmia, tamè illa tria in hoc genere esse potissima, & ideo singulariter numerari.

V. Ex his facile constat quid sit dicendum de fructibus beatorum: nam metaphora fructus & essentiali beatitudini, & cuiuslibet præmio accommodari potest: tamen D. Thom. specialiter vult significare quædam præmia accidentalialia, quæ correspondent virtuti charitatis, & ita explicat fructum 30. 60. & 100, de quibus loquitur Christus Dominus Matth. 13. & dicit, respondere castitati coniugatorum, viduarum, & virginum, & explicat per illud gaudium accidentale de his virtutibus. Et potest hoc facile sustineri, & est

Quid sint fructus.

consentaneum Hieron. Matth. 13. tamen Theophyl. ibi, & Anselmus, accommodant illos tres fructus profitentibus vitam contemplatiuam 100. actiuam cum singulari perfectione 60. & actiuam communem 30. Et idem ferè Gregorius hom. 15. in Ezech. nec ferè differt Athanas. epist. ad Amon. August. lib. quest. euangel. 9. 9. illa tria accommodat Martyribus, Virginibus, Coniugatis: idem ferè Cyprian. lib. de habitu Virg. Ego verò existimo illis tribus gradibus significari omnes iustos, in quibus alij sunt perfecti, alij mediocres, alij infirmi, quod significauit August. libr. de sancta virginit. cap. 45. & 46. Vnde non est necesse ibi esse sermonem de accidentalibus præmiis, sed de materia & qualitate præmij essentialis, vt citati Patres significant, & ex professo Hieron. lib. 1. & 2. contra Iouin. & epist. ad Pamach. contra eundem, Cyprian. epist. 76. tamen quia alia diuersitas in præmio accidentali huic non repugnat, facile potest sustineri, & accommodari Scholasticorum doctrina.

## DISPUTATIO XII.

### De inæqualitate Beatitudinis.



Iximus hæcenus de perfectionibus Beatitudinis, omnibus Beatis communibus: sequitur dicendum de differentiâ earum inter se, de qua tria tractari solent. Primum an sit talis aliqua inæqualitas inter Beatos? Secundum, in quo consistat? Tertium, quæ sit eius ratio? Quæ tria nos exequimur in libro 2. de Attributis Dei negatiuis, c. 20. & 21.

## DISPUTATIO XIII.

### De subiecto, seu statu, in quo possit homo consequi supernaturalem Beatitudinem.



Res status possunt ordine considerari in præsentis disputatione. Primus vitæ moralis, de quo iam in libro 2. de Attributis Dei negatiuis cap. 30. dubitationem hanc expediuimus. Secundus animæ separatæ quem hac in quæst. tractabimus. Tertius animæ rursus vnitæ corpori iam immortalis, de quo in subsequenti.

### SECTIO I.

#### Virum anima separata de factis consequatur beatitudinem supernaturalem perfectam antequam corpori vnatur?

Supponendum, de potentia absoluta esse in anima separata capacitatem ad illam visionem & ad omnia spiritalia bona, quæ ad illam consequuntur, quia visio est actus spiritalis nõ indigens corpore. Est ergo quæstio de lege statuta à Deo, quæ per factum ipsum optime explicatur.

Lactantius lib. 3. diuin. institut. capit. 21. docuit, animam separatam ante diem iudicij nec videre Deum, nec habere aliquam cognitionem sui status, I.

status, sed manere incertam usque ad illum diem. Solent etiam citari verba Ambrosij, & aliorum Patrum: sed non est hic sensus illorum, ut dixi 3. part. quest. 59. dist. 52. ubi ostendi, dari iudicium particulare in instanti mortis, in quo anima certa redditur de suo statu, & recipit vel condignum primum, vel poenam suo statui debitam. Quod constat euidenter ex parabola Lazari & Diuitis. Unde contraria sententia est haeretica.

II. Alij dicunt, animam separatam, quantumuis iustam & purgatam, non recipere visionem beatam ante diem iudicij. Vigilantius, ut ait Hieronymus libro contra Iulium, videtur fuisse in hoc errore, ut putauerit adhuc manere in sinu Abrahae, ibique frui quiete & pace, non tamen videre Deum, neque Christum. Tribuitur etiam Graecis & Armenis, ut Guido Carm. & Castro verb. Armeni, videri potest Bellarminus libro 1. de cultu Sanctorum, capite 1. videtur sequi Tertullianum libro de anima, capite 7. 9. 56. 59. Irenaeus libro 1. contra haereses, capite 31. aperte sentit omnes iustos descendere in sinum Abrahae: an vero ibi careant visione beata non explicat: videatur libro 2. capite 62. & libro 4. capite 43 & Chrysostomus homil. 40. in Genesim, & 53. in Matth.

III. Sit ergo certum animas sanctas plenè purgatas non detineri in loco aliquo inferni, sed in nobiliorem recipi, ubi cum Christo regnant. Probatur latius circa mysterium de descensu Christi ad inferos, iuxta illud, *morsus tuus ero inferni*, & illud, *ascendens in altum*: quod docuit Augustinus 20. de Civitate, capite 15. & constabit ex dicendis: quando vero nunc dicuntur animae requiescere in sinu Abrahae, non significatur ille materialis locus, in quo Sancti detinebantur ante Christi aduentum, sed locus, in quo sancti cum Christo requiescant, ut bene Bernardus sermone 4. de omnibus Sanctis, & Augustinus quest. 38. libro 2. quest. Euangel. Iustinus Martyr quest. 60. & 75. & 76. ad Genesim, Nicephorus libro 1. Historiarum capite 31. & libro 2. capite 22. putant animas iustas detineri in Paradiso terrestri, & ad illum locum tantum fuisse eductas à Christo ab inferis. Fundantur in illis verbis, *Hodie mecum eris in Paradiso*. Fauent Patres, qui hunc locum intelligunt de Paradiso terrestri. Sed quia hoc latè disputo 2. tomo 3. parte, solum hic aduerto secundum principia fidei non posse intelligi de Paradiso terrestri, quia est certissimum, Christum eo die non fuisse in Paradiso terrestri, quia est de fide, statim à morte descendisse ad inferos & eadem ferè certitudine verum est illic mansisse usque ad horam resurrectionis. Unde est haec sententia quoad hanc circumstantiam etiam erronea.

IV. Est etiam certum, animas sanctas plenè purgatas ad caelestem locum ascendere: sic omnes veteres, Cyprianus libro de exhortat. Mart. Basil. tract. de 40. Mart. Nazianzenus Orat. de Basil. Leo Papa sermone de sancto Laurentio, Augustinus de praedestinat. Sanctorum, capite 14. & 20. de Civitate capite 13. & 15. de Trinitate, capite 23. Auctor de Ecclesiasticis dogmat. capite 79. conuincitur ex mysterio ascensionis Christi in caelum, iuxta illud, *Captiuam duxit*: ubi ad hoc propositum ponderat Gregor. verba Christi, *Vbi fuerit corpus*. Sicut ergo certum est, Christum ascendisse in caelum, ita certum est de iustis, qui cum ipso regnant: Vide Gregorium 4. Dialog. capite 25. & 4. Moralium, capite 27. Hieronymum contra Vigilantium, non longe à principio.

V. Probatur etiam ex Paulo 2. ad Corinthios 5. cap. dicente, *Scimus quoniam si terrestria domus nostra &c. Suarez in primam secundae D. Thom.*

ubi obseruandum primò per terrenam domum quosdam intelligere totum mundum inferiorem, qui in die iudicij destruendus est. Unde colligunt, nos non habitaturos caelum usque ad diem iudicij, quam expositionem refellit Chrysostomus homilia 10. in illam epistolam, dixerat enim Paulus capite 4. exteriorem hominem corrumpi, interiorem verò renouari de die in diem, & ideo capite 1. subdit post plenam corporis dissolutionem sequi caelestem animae inhabitationem, quam omnes cupientes, nollemus tamen corporibus spoliari, sed superuolari: quia verò id fieri non potest secundum diuinam ordinationem, subdit, *audemus, & bonam voluntatem habemus peregrinari à corpore, & praesentes esse ad Dominum*. Loquitur ergo de dissolutione à corpore, postquam dicit, sequi societatem cum Christo, quam expositionem sequuntur Graeci & Latini. Secundò obseruandum, circa illud verbum, *adificationem, ex Deo habemus domum non manu factam*: per eam domum multos intelligere corpus gloriosum, quod speramus futurum domicilium animae nostrae, tribuendam non statim post destructionem terrena domus, sed in diem iudicij, ut Tertullianus supra capite 42. alij verò exponentes iudicant, hoc esse contra mentem Pauli, qui consolatur fideles, & animat ad mortem libenter sustinendam, eò quòd sit via ad caelestem patriam: ergo non est verisimile eum loqui de resurrectione, & expectatione corporis gloriosi, sed de caelesti patria, de qua dixit Christus Luca 12. capite, *Facite vobis amicos, &c. ut cum defeceritis* (id est, vita excesseritis), *recipiant vos in eterna tabernacula*: & Ioann. 14. *In domo Patris mei mansiones multae sunt*, Matthaei 25. c. *Intra in gaudium Domini tui*. Et Bernardus variis in locis, praecipue sermone quarto de omnibus Sanctis, & serm. 2. & 5. videtur dicere, animas, si bene purgatae sint, statim ferri in caelum, fruique clara visione humanitatis Christi, non tamen consequi essentiam beatitudinis, etsi alibi videatur tribuere Sanctis caelestem beatitudinem, ut sermone de sancto Malachia, qui habetur in fine Operum, post vitam eiusdem Sancti, & sermone secundo de sancto Victore, & de sancto Benedicto, citantur etiam alij Patres in hanc sententiam.

VI. Ultimò tamen certum de fide est, animas sanctas plenè purgatas post Christi Domini mortem statim frui visione Dei clara, & beatitudine supernaturali ac perfecta animae. Et probatur primò ex variis Scripturae sacrae locis. Primus est ex 2. Corinth. 5. capite, iam tractatus quem bene explicat ibi Divus Thomas, & opusculo capite 6. capite 9. & 4. contra Genesim capite 91. praecipue illa verba, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per solum enim ambulamus*. Ergo relicto corpore non ambulabimus per fidem, sed per speciem, habendo Deum praesentem. Confirmatur ex illo 1. ad Corinthios 13. capite: *Cum venerit, quod perfectum est*. Ergo si cessat status fidei, incipit statim aeternitas visionis, ut ibi Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus 14. de Trinitate capite 2. Hieronymus in eodem locis, Gregorius Magnus 4. Dialogorum, capite 25. & 4. Moralium capite 27. alias 32. Secundus locus est Lucae 23. capite: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Videatur Chrysostomus homilia de Cruce & latrone, Hieronymus epistola 3. Augustinus epistola 57. ad Dardanum, & 12. Genesim ad litteram, capite 34. D. Thomas in Catech. super Lucam, & ad Heb. 9. ubi per Christi passionem ait esse ablatum impedimentum & apertam ianuam. Unde Patres in Nouo Testamento dicunt, hoc esse discrimen, quòd statim obtinetur beatitudo si nullum sit personae impedimentum. Unde in initio

prædicationis[ & fit tertius locus] dicitur appropinquasse regnum Dei, *Matth. 4.* quod confirmat Innocent. III. in *cap. minori*, de quo, & præcedenti testimonio multa in 2. tom. 3. p. disput. 43. & 44. & ideo illa hoc loco prætermittitur. Pro quarto loco afferri possunt dicta de regno cœlesti in Apocal. & alibi repetitur, Sanctos regnare cum Christo in cœlo: illud vero regnum potissime consistit in visione beata, neque in locum beatorum quis admittitur, nisi qui iam est capax beatitudinis: sicut neque in infernum descendit, nisi qui iam est in eo status, in quo passurus sit poenas damnatorum. Vnde ante aduentum Christi iusti non ascendebant in cœlum, quia non erant viri Dei: vnde dicitur Deus esse ibi specialiter, quia ibi se manifestat, vt in suo throno, & regno, *Matth. 5. & 18. Isai. 66.*

VII. Secundo probatur ex definitione Ecclesiæ, quam veritatem definit Benedictus XI. in Extra. quam referunt Marfil. in 4. q. 13. art. 3. Castro, verbo beatitudo, heres. 6. & Innocent. dict. c. Maiores, & Concil. Fancford. epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Florent. in liter. vni. Trident. sess. 25. in decreto de Venerat. Sanctorum, Mogunt. cap. 49. & 46. Sanctorum testimonia præter dicta videantur in Bellarm. vbi supra. Ratio vero est, quia meritum vitæ æternæ in morte consumatur: ergo si neque ex parte naturæ rei, nec personæ est impedimentum, statim datur præmium, iuxta diuinam legem. Non morabitur apud se opus mercenarii vsque mane: cur enim manerent animæ sanctæ sine fructu meriti extra viam, & sine gaudio præmii extra patriam? ergo, Confirmatur exemplo Angelorum, qui finita via statim acceperunt præmium: & malorum, quibus statim datur poena æterna in morte, *Luc. 16.* est autem Deus prior ad miserandum, & præmiandum.

VIII. Ocham vero in opere 6. dierum, & Gerson serm. de Paschate, dicunt, Ioan. XXII. definiisse contrarium: sed verum est illum fuisse valde propensum in hanc sententiam, eamque persuadere statuisse, non tamen vt Pontificem definiuisse, quia Benedictus XI. in sua Extra. dicit, speciali Dei prouidentia raptum fuisse a tequam aliquid definiisset. Nec credendum est Ocham, qui fuit illi infestissimus, potuitque illam sine errore defendere, quia Innocentius in illis decretis non definiuit ex professo hanc veritatem, sed obiter, & quasi aliud agens: vnde eius assertio non erat habita vt definitio fidei, vel non erat intellecta de clara Dei visione, sed de regno cœlesti cum Christo Domino, de quo potuerunt intelligi sine aperta heresi Sanctorum testimonia, cum non essent satis ab Ecclesia declarata, præsertim cum sint alia testimonia Scripturæ sacræ, quæ occasionem præbere potuerunt ad contrarium opinandum.

IX. Obiiciuntur Scripturæ sacræ testimonia, vbi significatur præmium bonorum operum referuandum in diem iudicii, *Matth. 25. 2. ad Corinth. 6. 2. ad Timoth. 4. Reposita est mihi, & cetera. Matth. vigesimo. Facto vespere unicuique datur denarius, Ioan. 14. Vado parare vobis locum: iterum veniam, & cetera. vnde particula, veniam, secundum aduentum significat, & subditur, in illa die vos cognoscetis, quia ego in Patre, quod de die iudicii intelligunt Augustin. titul. 39. Cyril. libro nono, capite quadragesimo sexto, & 47. sic videtur intelligi illud 1. Ioan. 3. Similes erimus: & illud Apocal. 6. Vidi subtrahere altare animas interfectorum, & cetera. quibus respondetur, sustinere modicum, donec impleatur numerus fratrum suorum, datur eis stolam primam, id est, visio humanitatis, & promittitur alia in finem mundi, id est, visio diuinitatis.*

Et ratio est, quia præmium quod proponitur tantquam corona tribuenda, & distribuenda inter multos, non est reddenda donec conflet de omnium meritis: possentque de hoc testimonia multa sanctorum Patrum afferri.

Sed ad hanc etiam coniecturam dicendum est, præmium meritorum cum publico honore, & solemnium pompa, & manifestatione omnium bonorum operum dandum esse in die iudicii generalis, quod significatur prioribus testimoniis: non tamen excludi iudicium particulare, nec remunerationem, quæ unicuique dabitur in illa die iuxta sua merita, & in vtroque sensu potest intelligi *Matth. vigesimo*, quia nomine vespere, potest intelligi vel finis mundi, vel vitæ vniuersusque: & sic possunt exponi verba Ioan. decimo quarto. Iterum venio, scilicet, de aduentu per solam efficaciam, & virtutem, vt Christus Dominus aduenit in morte vniuersusque cum venit ad iudicium: si intelligantur de visibili aduentu, intelligendus est ille aduentus futurus, vt in corpore, & animo omnes suos recipiat ad se, vt exponitur illud, cum apparuerit, similes erimus, & cetera. cum ad iudicandum venerit, erimus ei similes in gloria, & claritate corporum, quia videbimus Deum, & cetera. sicut Paul. ad Coloss. 3. dicit, cum apparuerit Christus, & cetera, etli possit illud cum apparuerit, apud Ioan. ad nos solum referri, dixerat enim, nondum apparuit quod erimus, subdit, cum apparuerit, scilicet, quod futuri sumus, tunc erimus similes, apparebit hoc omnibus in die iudicii, singulis in die mortis. Locus Apocalyp. confirmat catholicam veritatem, per stolam primam, intelligimus stolam animo, per secundam gloriam corporis. Quo sensu multi Patres possunt exponi. De altari vero lege Riberam. Ad rationem responderetur. Nam in illo præmio vniuersusque iustitiz perfecta ratio seruatur, seclusis imperfectiōibus, & ideo unicuique finito labore suo, & ablatis impedimentis, datur quantum ei debetur, sine vlla mora, quod ad perfectionem iustitiz commutatiue spectat: postea finitis omnium victoriis fit publica manifestatio, & remuneratio unicuique datur iuxta proportionem meritorum, quod ad perfectam rationem iustitiz distributiue pertinet, de quo multa citata disputatione de iudicio generali, & particulari.

## SECTIO II.

Vtrum eadem supernaturalis beatitudo futura sit animabus iterum corporibus coniunctis.

Dvas partes potest habere hæc quæstio. Prima est absoluta, vtrum hæc beatitudo haberi possit in corporibus: secunda, vtrum sit habenda cum eadem perfectione. Vide Augustin. 2. de Ciuit. cap. 26. & libr. 22. capit. 26. & Castro verb. Resurrectio. heres. 1. vbi referunt quosdam errores circa hanc rem.

Dicendum breuiter est, animas & esse futuras, & posse esse beatas post corporum resurrectionem, eadem supernaturali Dei beatitudine in visione Dei consistente. Est de fide, vt patet ex dictis sect. præcedenti, præsertim in vltima obiectione numero 10. Vnde est illud Daniel. 12. Qui dormiunt in terra & puluere, vigilaunt in vitam æternam, & Ioan. 5. Omnes qui in monumentis sunt, & cetera. & 1. ad Thessal. 4. ab illis verbis: si enim credimus quod IESVS mortuus est, & cetera. Ratio est, quia si anima esset priuanda illa